



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 8. Cur, ex parte Dei, indigni sinantur honores capessere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

§. VIII.

Cur, ex parte Dei, indigni sinantur honores
capessere?

Deus autem multas & æquas causas ha-
bet, ob quas impios, & ineptos, & imme-
ritos, & prorsus indignos vel ipse ad hono-
res promouet, vel ab alijs finit promoueri.
1. Ne homines, in hac vita, iudicentur ex
honoribus, sed ex virtutibus. Si enim etiam
indigni sciuntur honoribus atque opibus
peruigere; & digni ijs carere; nemo idcir-
co malus debet existimari, quia gloria, aut
officio honorifico caret; neque idcirco bo-
nus, quia gloria aut dignitate floret. 2. Gra-
uissima Dei pœna est, qua plectit populum,
si ei det præficiatque malum ducem; saepe
enim vnum exaltat, vt alterum humiliet.
3. *Omnes pastores tuos pascet ventus, & amatori
tui in captiuitatem ibunt: & tunc confunderis,
& erubesces ab omni malitia tua.* Quidam
episcopantur in cunis, hoc est, mitra hone-
stantur, quia grex alium pastorem non me-
retur; nec populus alium regem. *Va tibi ter-
ra, cuius rex puer est, & cuius principes mani
comedunt.* Sicut grauissimus dolor est, quan-
do caput ægrotat, ita grauissimum pœna
genus est, si in honores ascendant summos,
non

Jerem. 22.
22.

Eccles. 10.
26.

non digni, multa enim committunt indigna; tantoque maior est clades, quanto altior gloria malè gubernantis. 3. Sinit Deus quosdam fulgere honoribus, vt in eis mutet mores. Multi enim antea priuati, haud magna sanè vel fecerunt, vel promiserunt, qui postea, ad officia magna admissi magna præstiterunt; videbant enim, alium statum aliam vitam exigere. Et experti sumus, non solum multos, potestate factos insolentes, sed etiam non rarò alios ipsis titulis maioribus emendatos. Mirati sunt multi, aliquos non præter propter honestatem viuere in Episcopatu, qui cum Canonici essent ita vitulabantur, vt omnibus lachrymis deflendi essent. 4. Honestas adhibetur inhonestis, vt, sicut in corpore humano membra tantò abundantius, quantò magis inhonestas sunt, à velamine honestentur. *Eorum quippe honestas & honor est velamentum.* Multi mali, ignaui, nihil boni haberent, si officio nudarentur. Sic ergo munere, quo funguntur, eorum tegitur turpitudine. Et sæpe fit, vt saltem minùs sint mali, aut aliquid de improbitate remittant. Quemadmodum & pueris dant crustula blandi

Doctores, elementa velint vt discere prima.

Q 5

S. IX.

S. Augustus
lib. 4.
contr.
Pelag.
c. 16.